

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 5206/74 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X - Y)

DECRETUM

Recurso diei 24 ianuarii 1974 D.nus Adv. Z, patronus actoris in causa de qua supra, nullitatis accusavit Decretum a S. Romana Rota die 24 novembris 1973 in eadem causa latum, et, subordinate, petiit restitutionem in integrum.

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, audita altera parte necnon Promotore Iustitiae, in Congressu diei 4 iunii 1974, decrevit: “Recursum admittendum esse in casu”.

Ratio est quia, vi can. 1880, n. 4, non datur appellatio a sententia quae in rem indicatam transiit.

In casu, enim, obiectum controversiae erat uter modus procedendi adhibendus fuisset in secunda instantia: utrum nempe causa dirimenda esset in secunda instantia per processum ordinarium an per ratihabitionem.

Super hac quaestione duplex prodierat decisio conformis: decisio Tribunalis Appellationis T et decisio Rotalis c. R.D.P. [A]

Notum autem est ex duplici sententia conformi oriri rem iudicatam (can. 1902, n. 1).

Cum Turnus Rotalis c. R.D.P. [B] praeter dubium principale circa nullitatem decreti T ratihabitionis, dubium subordinatum sibi proposuisset “... et quatenus negative, utrum causa admittenda sit ad ordinarium tramitem tertii gradus”, operae pretium est animadvertere hoc dubium non sustineri vi art. IX, §2, M.P. “Causas matrimoniales”.

In casu autem iudicium tertii gradus super novis argumentis a parte conventa allatis peractum iam erat a Turno coram R.D.P. [A] et definitivum decreto negativo.

Verum quidem est causam esse de statu personarum quae nempe resumii potest, at non arbitrio partium, sed solummodo novis prolatis iisdemque gravibus argumentis, diversis ab illis iam exhibitis et examini iam subiectis in tertio gradu.

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 5206/74 CG

Ideo, post huiusmodi pronuntiationem tertii gradus, nequibat actori denegari exsecutio duplicis decisionis pro nullitate matrimonii.

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 4 iunii 1974.

Dinus Card. STAFFA, *Praefectus*

+ Aurelius SABATANI, *Secretarius*